

uno nomine se tanquam Patrem agnoscerent, sive, quod magis  
credibile est, ut crescente Romanæ Urbis potentia, suum quoque  
nominis decus ad aliquam excresceret amplitudinem. Nec  
solum id præstitit Romulus, referunt Autorum nomina, Alexan-  
dria, Norimberga, Constantinopolis, Adrianopolis, aliæque: imo  
Tyrrhenus pervectus in Italiam & loco & incolis & mari nobile  
ac perpetuum à se nomen dedit a) felicior hac in parte Imp.  
Commodo, Romam frustra & sine successu nominante Com-  
modianam. b)

a) Veilej. lib. 1. cap. 1. b) Facius polit. Livian. p. 31.

3. assumtis  
in signibus  
cap. 8.

V. Acquiescere hic potuisset Romulus, sed ecce novum  
ornamentum, *mutatus habitus, assumtaque insignia*; probatus attra-  
hendæ reverentiæ popularis magnes. Vivebat enim in Rep. rudi  
adhuc, agrestique hominum colluvie plena, quæ *opinionibus potius  
quam veritate trahi poterat.* a) Certum est, ut de amatoribus scri-  
bit Ovidius b)

*Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur*

*Omnia, pars minima est ipsa puella sui.*

*Sæpe ubi sit quod ames inter tam multa requiras.*

*Decipit hac oculos: egide dives amor.*

ita quoque vulgus externa rerum specie maximopere se com-  
moveri patitur. Inde tot in Coronationibus Imperatorum so-  
lennia; c) Interdictio purpuræ vel ab Augusto plebejis injuncta  
d) vel à Nerone ad ipsos Senatores extensa: e) Usus etiam Cæsa-  
riæ, regis tantum stirpi in Gallia olim concessus f) & quæ sunt  
alia. Laudatur Syracusanus Hiero g) quod *nec vestis habitu, nec  
ullo alio insigni differens à ceteris visus fuerit*: Verum prægnans  
hujus instituti suberat ratio: delectatus siquidem isto cultu fue-  
rat Tyrannus Dionysius, quare post tyrannidis abrogationem  
omnia removenda erant quæ vel minimam ejus referebant no-  
tam; & hinc, cum in filio ejus Hieronymo conspicerent purpu-  
ram ac diadema, Patri concessum obsequium in novam muta-  
bant seditionem. Idem arcanum Augusto obversabatur h) &  
Tiberio *valido assermandis honoribus i)* ita quidem ut Dominus  
indigitatus, rogaverit; *ne se contumeliæ causa ulterius appellarent,*  
k) Quicquid etiam sit de mente Alphonsi l) qui apud suos mori-  
bus